Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1309

Quelle:
Copyright:

Wiennenſi ordinis fratrum Carmelitarum (deinceps Domo Profeſſorum S. J. nunc Tribunali Senatus bellici) *coram vniuerſitate per fratrem Mathiam fabri de auguſta ſacre Theologie lectorem. Anno.* 1468. Adhaeret Locus laudis Ordinis *Carmelitani* depromtus e *Sermone M. Henr. de Haſſia de Aſſumpcione virginis glorioſe*, quem indicavimus alibi et in quo *ſacra religio iſta indubitanter ex diſcipulis prophetarum inchoata* pace *Dan. Papebrochii* dicta ſit.

IX. *fol.* 261. *Collacio in exequiis olim ſacre pagine profeſſoris perſpicaciſſimi magiſtri Nicolai de dinckelſpühl facta per egregium ſacre froneſis* (Φρονησεως) *doctorem magiſtrum petrum de pirchenwart. Anno 1434. Wienne.* Initium: *Moritur doctus pariter et indoctus, ſcribit Eccleſiaſtes 2. Cap. Reverendi Patres, Domini &c. Dum limpidius oculis mentis mee intueor et miranda dei opera animaduerſione digna contemplor, plus hodie liberet flere et carmen lugubre depromere, quam aliquid coram veſtris paternitatibus verbotenus explicare, preſertim quia exequiarum officium olim venerabilis magiſtri noſtri et doctoris perſpicaciſſimi, magiſtri videlicet nicolai de dinckelſpühl in preſentiarum votiue peragimus, qui morum honeſtate, ſcientia, virtutum norma, doctrina et vita preclariſſima, quaſi ſecundus fundator noſtre vniuerſitatis reſplenduit fideliſſimus. Hunc ergo domini voluntate nunc vita ſua functum cernimus, quem quondam ut refugium noſtrum et remedium ſingulariſſimum habuimus.* Praeteritis dein communibus de Morte locis, propria quae ſunt Viri, adſcribam. *Ipſe enim fuit, qui decurſis ſingulis etatibus hominis ad ſenectutem peruenit non quamcunque ſed bonam, ita ut de ipſo vere dicam illud Gen. 25. Mortuus eſt in ſenectute bona. — A principio vſus rationis ſue reſplenduit in ipſo ſenectus iſta vita morali, conuerſacione exemplari, pietate et victu frugali vsque in preſens tempus. In tota namque ſua vita cunctis acceptus et placabilis fuit, nulli diſplicens, ſed omnibus ſumme placens, nunquam notatus dolo aut fraude, nec de auaritia aut beneficiorum cupiditate, nec de diſſenſionibus et ſciſſuris, ſed in omnibus inventus eſt homo pacis quia verus iſraelita, in quo dolus non fuit.* Et poſtquam commemoraſſet, quantum Cives et Academia illum reveriti fuerint, de laboribus ejus ſcholaſticis addit: *refulſit inter ceteros ut ſol inter planetas, primum in plenitudine ſcientiarum ſui ingenij — ſecundo in caſtiſſimo et piiſſimo amore ſingula que nouit alijs caritativiſſime communicando. — Sed licet ſic premiſſa grandia ac ſalubria ſint et fuerint, tamen maiora horum fecit, preſertim in conſtantienſi concilio, in cauſa fidei ſcribendo et ſaluberrime conferendo, tractatus contra errores huſſitarum componendo, vbi eciam in cauſis principalibus eccleſiam tangentibus ſepe vnus de deputatis fuit. — Demum*